

M. VALERII MARTIALIS EPIGRAMMATA

V, 13

In Callistratum

Callistrato, magnas opes habenti, paupertatem se divitiis anteponere confitetur, quod divites multi et e populo vel sint, vel esse possint, et rari habeantur poetae.

Sum, fateor, semperque fuī, Callistrate, pauper,
sed nōn obscurus nec male nōtus eques,
sed tōtō legor orbe frequēns, et dīcitur : ‘Hic^c est’ ;
quodque cinis paucīs, hoc mihi vīta dedit.
5 At tua centēnīs incumbunt tēcta columnīs,
et libertīnās arca flagellat opēs,
magnaque Nīliacae servit tibi glaeba Syēnēs,
tondet et innumerōs Gallica Parma gregēs.
Hoc^c ego tūque sumus : sed quod sum, nōn potes esse ;
10 tū quod es, ē populō quīlibet esse potest.